



Universitätsbibliothek Paderborn

Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In
sex partes tributæ

Qvae Meditationes Complectitvr circa omnia Christi Domini Acta, ab eius
Baptismo ad finem vsque Prædictionis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

Puente, Luis de la

Coloniae, 1612

45. De Zizanijs tritico super seminatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

correspondet præmium in futura; imò c etiam in hac vita, si ei feruenter inservias, centuplum est daturus.

Alia applicationes huius Parabola possunt perpendi, ut sancti interpretantur. fructum tricesimum tribuendo coniugatis; sexagesimum viduis & virginibus; centesimum Martyribus aut etiam religiosis, qui vitam profitentur contemplatiuam aut mysticam, docentes alios viam perfectionis, quam ipsi sequuntur. In quocunque autem horum statu contendere nos docet, perfectiorem fructum proferre: fieri enim potest, quòd status quidem sit fructus tricesimi, proferat tamen centesimum, ob insignem feruorem, qui supplet imperfectionem status.

c Matt. 19.

29.

c Marc. 10.

30.

MEDITATIO XLV.

DE PARABOLA ZIZANIORUM.

PUNCTVM I.



IMILE a factum est regnum cælorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo, cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminavit zizania in medio tritici; & abiit. Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset: tunc apparuerunt & zizania.

a Matt. 13.

24.

HANC

I.

HANC etiam Parabolam Christus ipse declaravit, dicens, se esse qui seminet; cuius officium est in campo huius mundi seminare bonum semen, hoc est filios Regni, iustos videlicet, qui cœlestis regni futuri sunt hæredes. vocantur autem Christi semen, eò quòd sint eius filij, ex generosa & cœlesti prosapia geniti in statu gratiæ, virtute sementis diuinæ inspirationis, quæ fuit in illorum cordibus seminata. Imò etiam semen censentur, ex quo alij ipsis similes nascuntur: perfecti enim ad imitationem sui magistri, cõtendunt alios iustos generare, qui Deo sicut ipsi deseruiant.

II.

SED inimicus, qui est dæmon, in medio boni seminis zizania seminavit, hoc est homines nequam: nam vt zizania in gramine similia sunt tritico; cum autem creuerint nigrescunt, suntq; tritico, cum quo simul nutriuntur perniciofa, imò & homini, qui illis vescitur, quia obtundit visum, prouocant vomitum, sensumq; perturbant: sic iniqui iustis sunt similes in natura humana, & interdum etiam in fide, & externis Christianorum cæremonijs; in rei tamẽ veritate, nigri sunt in anima, propter peccata; visumq; interiozem valde turbatum habent ignorantis & erroribus multis, iam contra fidem, iam contra bonos mores, quibus alios scandalizant, & dissensiones inter eos faciunt, ac denique b Deum prouocant, vt illos ex ore suo euomat. Faciens ergo comparationẽ duorum horum seminũ, mihi ipsi dicam: vtrum esse mauis, Christine semẽ,

Salmeron.
Tom. 7.
tract. 6.

b Apoc. 3. 10

qui

qui tuus est amicus, tuam quæ salutem quærit; an dæmonis, qui tuus est hostis, & tuam quærit condemnationem? O Deus animæ meæ, semen tuum esse volo, diuinæ tuæ inspirationi obtēperans, ne me permittas, Dñe, mei & tui hostis suggestioni obedire, ne fiã zizania tuæ Ecclesię, & te prouocem, vt ab ea me euomas.

CONSIDERABO tertio, quod inimicus ille homo zizania seminauit, postquam seminatam fuit triticum; id quæ dormientibus hominibus; vt significetur, prius fuisse bonos, quàm malos, tum inter Angelos in cœlo, tum inter homines in Paradiso: & vniuersim, postquam CHRISTVS Dñs noster in Ecclesia sua iustorū sementem seminat per Baptismum, & alia sacramenta, accedit satanas, vt superfeminans zizania, illos procuret in nigellã siue melanchium conuertere: quod facit dormientibus hominibꝰ, in nocte videlicet, repentè, & quãdo ipsi minimam sui curam gerunt, aut illam relaxantes dormiunt pigritiæ somnũ. O dulcissime IESV, omnis boni seminis feminator, qui semper vigilas & nunquã dormis, ac propterea vides zizania, quæ hostis tuus in campo tuo seminare contendit: ne quãdo dormire te ostendas, permittens in me tale aliquid seminari, quod me separet à te. Quod si ego ex negligentia dormiuero, vigilet tua misericordia; vt me excitet, & hosti resistam prius quàm is mei possessionem accipiat.

DENIQVE perpendam, quod inimicus post seminata zizania abiit, vt significet, quod se

III.

IV.

III. Part. Medit.

kk

abscōn-

S. Chrysoſt.
hom. 47. in
Mat. 5. Hier
tom. 9.

e Mat. 7.
25.

a Mat. 13.
27.

I.

abſcondat, ne agnoſcatur, ſicut qui lapidem in alium iacit, & manum abſcondit, ne ieciſſe notetur. Et interdum ſe tranſfiguratur in amicum & in Angelum lucis, quò nos faciliùs decipiat. Interdum etiam diſcedit, deſiftens à tērationibus, vt quaſi ſecuri ab eo eſſe videamur: ſed mox rabie maiori reuertitur, vt nos proſternat. Ex quo fit, vt, propter ſimilitudinem zizaniorum ad triticum, non potuerint diſcerni, donec ad fructum peruentum eſt: vt intelligamus, ſæpè bonos & malos in initio valde ſimiles eſſe; quia mali induunt habitum & figuram bonorum & c lupi (ſicut Chriſtus dixit) *veniunt in veſtimentis ouium*. Sed tempore proferendi fructū, deprehenditur quicuiſque fit; & num veræ ſint an tantum apparentes virtutes, quas habet, ex operibus quæ facit.

PUNCTVM II.

ACCEDENTES autem ſerui patrisfamilias dixerunt ei, Domine, nonne bonū ſemen ſeminasti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? & ait illis, inimicus homo hoc fecit.

CONSIDERANDVM primo, quòd Apoſtoli & viri apoſtolorum eorum ſucceſſores, videntes multitudinem improborum, & errorū ac vitiorum, quæ ſunt in mundo, ſtupentes & dolentes ad Deum recurrunt dicentes: Domine, qui fit, vt cū tu in mundo tam præclarum ſemen ieceris, tot nūc admixta ſint illi zizania? vnde hoc, quòd cū duodecim Apoſtolos

ele-

elegeris, vnus eorum fuerit Iudas? Et in horto
Ecclesiæ tuæ inter *lilia* iustorum, tot reperian-
tur *spina* peccatorum? In domibus Religiosis
cum tritico Perfectorum sint commixti tot, qui
aliis sunt scādalo? Et ingressus me ipsum, cer-
nensque tantam vitiorum & perturbationum
multitudinem, quæ animam meam cōturbant;
possum etiam Christo Domino dicere. Num,
Domine, non seminasti in corde meo bonum
semen Sanctorum desideriorum, & firma ani-
mi decreta, relinquendi omnia, vt expeditius
tibi & cum perfectione seruirem? Vnde ergo
tanta prodire Zizania; quæ in me esse anim-
aduerto? Aperi mihi Deus meus, huius radi-
cem & causam, vt contendam cum gratia tua
adhibere remedium.

b Ioan. 6. 64

c Cant. 2. 1.

DEINDE Christi responsio est perpendēda.

II

Inimicus, inquit, *homo hoc fecit*. Quibus verbis
tria insinuat. *Primum*, quod Deus Dñs noster
non sit Zizaniorū *seminator*, aut mali seminis;
sed boni tantum: quia ipse est summa bonitas,
& à summa bonitate nihil mali potest proue-
nire; nec illa potest quenquam ad id induce-
re. *Secundum* est, quod dæmon præcipuus sit
Zizaniorum *seminator*; & ab eo tentationes
proveniunt, propter inimicitias, quas habet
aduersus Deum, & homines: & propterea in
Scriptura appellatur, e *Tentator*, & qui sunt
zizania, & *f faciunt peccatū*, dicuntur *ex dia-*
bolo esse, & filij eius, qui *g patris sui* imitatores
sunt, cuius *desideria volunt facere*. *Tertium*
est, quod licet ipse dæmon præcipuus sit

d Iacob. 1. 13

e Matt. 4. 3.

f 1. Ioan. 3. 8.

g Ioan. 8.

44.

2. p. q. 114.
ar. 3. ex S.
Iacob. c. 3.

h Psal. 10. 5.

peffimi feminis seminator, ipsi nihilominus homines (teste S. Thoma) arbitrij sui libertate, & à suis passionibus & carne stimulatī seipsos zizania faciunt. & fors propterea dixit: *Inimicus homo*, quasi diceret, homo qui sui ipsius, & h *anima sua inimicus est*, & meus hoc fecit, hæc Zizania seminavit in mundo & in seipso, huiusq; tanti damni est causa. Ex triplici hac certa veritate documentum sumam ad culparum, & turbationum mearum originem inveniendam, conatus verò diligens est adhibendus, ut horum hostium conatus & gressus, qui tantum mihi detrimentum adferunt, intercipiām.

III.

HINC verò ad occultiorem alium sensum illius interrogationis perpendendū progrediar: *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet Zizania?* Quasi à Christo Domino quæreretur. Cur, Domine, si huius mundi cāpus tuus est, quia tu eum tua omnipotentia condidisti: & postea etiā proprio sanguine redemisti; in eoque adeo bonas, præstantesq; semētes seminasti, permittis inimico tuo tanta in eodem zizania super seminare? Nisi enim tu id illi permitteres, nisi ad id faciendum illi faceres potestatem; nunquam is adeo temerè auderet in proprio tuo campo, optimo tuo semini, pessimū suum cōmiscere. Huic quæstioni in hoc sensu Christus non respondit: quia non vult nos curiosè arcana ipsius iudicia scrutari; sed ut demisso animo eadem veneremur, dicentes cum Davide: *iustus*

i Psal. 118.
137.

es Do.

es Domine, & rectum iudicium tuū. Debeo tamen certò credere, tantam esse Dei bonitatē, & adeo immensum eius in suos iustos amorē, vt, nisi ex ea permissione inimico facta, malorum Zizania inter iustos seminādi, maiora ipsis iustis bona elicere potuisset, ac voluisset, nunquam id illi fuisset permitturum: sicut nec malum tentationū suarum semen in nobis seminare eidē permetteret; nisi easdē voluisset in maius nostrum bonū & vtilitatem conuertere. & quamuis ego in particulari nō possim omnia illa commoda obtinere; possum tamen ea in genere cognoscere, credens, Deum permittere improbos, ad bonos in patientia, & humilitate exercendos; & vt illi in omni perfectione excellent; & vt magis appareat gratiæ ipsius efficacitas in vasis misericordiæ ipsius: & boni magis honorificentur, dum inter tot infideles suā ipsi fidelitatem strenuè tuentur; & vt hominū libertati consulat, dum singulis liberū relinquit facere quod velint, sufficienti interim auxilio eis oblato ad resistendum malo, & sequendum bonū. O seminator iustissime, qui summā tuā bonitate in Ecclesia tua zizania tot iniquorum permittis, & in anima mea tot tentationum sementem; fac, quæso, ne in meum cedat detrimentum, quod tu permittis ob meum maius bonum! Ostende in me tuæ misericordiæ magnitudinem, magnam bonorum copiam ex tanta malorum segete educens, vt propterea glorificeris in secula, Amen.

PUNCTVM III.

a Matt. 13.
29.

SERVI autem a dixerunt ei: vis imus & colligimus ea? Et ait, Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.

I.

IN secunda hac seruorum interrogatione cōsiderare licet iustorum zelum, cū tot mala in mundo cernunt inundare. Qui zelus in aliquibus ex aliqua quatuor causarum nimius esse potest. *Prima*, quia feruore suo cuperent omnia simul zizania, & tractu vno euellere; & auferre ex mundo, aut ex Ecclesia, aut ex Religiosa congregatione omnes malos; & à seipso omnia vitia & passiones simul: quod tamen ex ordinaria lege est impossibile. *Secunda* causa est, quod velint zizania ante tempus & intempestiuè colligere. Ex quo maius sequitur incommodum: nam fortè qui hodie est zizania, cras conuertetur in triticum; & si malus cum patientia & spe longa toleretur, tandem blandè correctus, conuertitur & fit bonus. & qui nimium festinat ad perfectionem consequendam, destruit sæpè sanitatem, & amittit quod fuerat assecutus. *Tertia* causa est, quæ in ipsa Parabola insinuatur: quia volunt zizania colligere, cum periculo simul triticum euellendi. quod euenit volentibus improbos castigare cum bonorum damno, ob scandala, bella, & turbationes publicas, quæ inde oriuntur. Quod quidè perinde esse videtur, atq; aliqua zizania colligere quidem; sed
alia

alia interim magis noxia seminare. *Quarta* denique causa est, quod iracundiæ & ultionis spiritu zizania euellere velint, indignatione potius quam cōpassione ducti: sicut Ioanni & Iacobo Apostolis euenit, qui cū b *Samaritani* *Christū non recepissent, ignē de celo descendere volebant, qui illos consumeret*: ob quam causam ab ipso Christo reprehensi fuerant. b Luc. 9.53.

DEINDE infinitam Christi charitatem considerabo, quæ in ea responsione resplendet, quam nomine huius patris familias seruis dedit. Etiam si enim seuerissimum se aduersus Angelos in cœlo ostenderit, & eodem momento, quo Lucifer zizania ibi seminauit, eundem simul cum seminatis ab eo zizanijs euulserit, & in æternum ignem præcipitauerit: cum hominibus tamē ea seueritate uti noluit; sed lōgo illos tempore tollerare, & pēnitēdi spacium eis concedere: desiderans huiusmodi zizania in triticum potius conuertere, quàm euellere. Dei enim voluntas non est perdere animas; sed eas saluare. & licet velit peccata destruere, non vellet tamen ipsos peccatores. O dulcissime Saluator, gratias tibi ago, quod eorū vicem doleas, qui sunt zizania; eius rationē ducens, quod manuum tuarum sint opus quoad naturam; licet inimicus fecerit suos propter culpam. Destruere Deus in eis quod hostis fecit; vt repares quod tu fecisti: vt re ipsa semē tuum effecti & triticum bonum, ad cœlestia tua horrea congregentur. Amen.

RESPLENDET quoq; infinita Dei misericordia

II.

III.

c Gen. 18. 33

in eo, quòd ob amorem, quem habet ad triticum, velit tolerare zizania; malos videlicet propter bonos: vt ostendit ipse, cum Abrahamo dixit: *se non delet urũ ciuitatẽ Sodomorũ, si decem in ea iustos inueniret*, quanuis ciues illi innumeris essent peccatis irretiti. & cum eosdem voluit pro meritis castigare, prius Loth inde eduxit, prius rationem habens saluandi tritici, quàm zizania comburendi. Quod ipsum magnam bonis adfert consolationem: quia ex eo illis oriri potest hæc animi tranquillitas, & securitas: quòd non accedet ad eos malum propterea quòd maneant inter malos; sed ipse eripiet eos. Denique aduertam, Deum Dominum nostrum non prohibere euelli zizania, quando id absque tritici periculo, & potius cum eius commodo fieri potest. Sicut re ipsa nunc Ecclesia peccatores quosdam castigat, vt aliis ea poena sit exemplum, ne zizania vires & incrementa sumat, & bonis tranquillè viuere liceat. Sed vult tamen Deus euitari quatuor illos nimios excessus zeli supra notatos. & in hoc sensu prohibuit seruis, facere quod volebant.

PUNCTVM IV.

a Mat. 13. 30

CONCLVDENS Paterfamilias suam responsionem: *a Sinite, ait, vtraq; crescere vsq; ad messem, & in tẽpore mesis dicam messoribus: Colligite primũ zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.*

CON-

CONSIDERANDVM hic primùm, quod Christus in hac parabola certos nos reddit, ad finem vsque mundi (quod tempus erit messis) semper triticū futuram simul cū zizanijs, bonos videlicet cum malis cōmixtos: quia nunquam diuina prouidentia intermitteret bonam sementem in Ecclesia sua, & in Religiosis Congregationibus seminare, crepet licet de mon, zizania etiam superseminando. Nec animum abijcere nos decet, quanuis plurimos videamus improbos: nam vbi existimamus paucos esse bonos, quia illos non nouimus; sunt plurimi noti Deo, de quibus se ipse iactat apud Heliam, qui se solum Deo fidelem relictum affirmanti, respondit: *b Reliqui mihi septem millia virorum in Israel, quorum genua non sunt incuruat a ante Baal.*

DEINDE attendendum, toto tempore ante messem, triticum & zizania multiplicari, & crescere. tam enim optimi, quam improbiissimi tempore vitæ suæ crescunt, illi in sanctitate, hi in improbitate, iuxta illud Christi in Apocalypsi: *c Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc: Ecce venio cito. & merces mea mecum est, reddere vnicuiq, secundum opera sua.* Sed hoc interest hic: quod triticum crescere, & quotidie à bono in melius proficere, id est ex directa Christi voluntate; ad quod etiam auxilium suum particulare præbet: Zizania autem crescere, & à malo in peius ruere vsque

I.

*b3. Re. 19. 18
Rom. 11. 4.*

II.

c Apo. 22. 41

ad ipsam messem; id ex permissione prouenit, non ex directa voluntate. Messis autem ipsius duplex est tempus, vnum messis vniuersalis in fine mundi; alterum particularis in fine vitæ vniuscuiusque, cum eius boni malive augmentum peruenit ad terminum à diuinæ prouidentiae ordinatione aut permissione præscriptum. & tunc, qui lolium esseprehendetur, eradicabitur ex hac vita & ad ignis æterni incendia comburendum mittetur; qui verò triticum purum nitidumque esse inuenietur; is uetetur, & in horrea celestia recipietur.

III.

d Mat. 13.
41.

ACCEDENTE autem vniuersalis messis tempore, dmittet Christus Dominus Angelos suos, qui ipsius sunt messores, & diuinæ iustitiæ ministri: qui colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem; & mittent eos in caminum ignis: tam videlicet eos, qui deprauatis suis moribus & peruersa doctrina alijs fuerunt scandalo, & occasione peccandi; quàm qui sibi ipsis tantum iniqui fuerunt. Omnesq; eos ita in diuersos fasciculos distributos ligabunt, vt in vnū colligent eos, qui similes aut cōplices in culpa fuerunt; vt sint quoque simul in pœna: itaq; ligati in æternas mittentur flâmas; quas effugere nunquã possint. Et vt fasciculi se mutuò iuuant ad comburendum; ita infelices illi erunt sibi inuicem cruciatus & tormentum: eritq; ibi fletus & stridor dentium. rabie incredibili vociferatium in seipsos, & in eos, qui tanti dâni causam

causam illis dederunt. O anima mea quomodo non contremiscis de tremendo hoc iudicio cogitans! Quis potestati aded robustorum messorum resistere poterit! Quis se poterit à vinculis aded fortibus expedire! Quis poterit habitare cum ardoribus sempiternis! & abominandis socijs conuiuere! Quis aded amarum fletum poterit sustinere, & rabidum illum dentium stridorem pati! O zizania infelicissima, quæ vt dissensiones inter bonos in terra seminatis; ita in inferno easdem feretis æternas cum ipsis impijs pœnas. Libera me Deus ab hisce culpis, ne in tremendas aded incidam pœnas.

IPSI denique Angeli triticum congregabunt in horreum cœlorum: boni enim à zizanijs separati in cœlestibus sedibus collocabuntur. & *e tunc fulgebunt iusti sicut sol in Regno Patris eorum.* O Pater amantissime, gratias tibi ago pro fauore, quo iustos te profectui ostendis, *fuscitans de puluere egenos, vt eos colles cum Principibus in Regno tuo, & vt solem in firmamento.* Nam qui in tuo seruitio excelluerunt, lucentes sicut sol, bonis editis operibus; excellent quoque in tui fruitione, lucentes sicut sol in præmium eorum. Hic splenduerunt sicut sol iustitiæ Iesus Christus filius tuus, eius vitæ imitatione; & ibi splendebunt sicut ipsemet sol, imitantes etiam eius gloriam in secula. Amen.

I V.

cMat. 13. 43

fPsal. 112. 2